

/ Reverendissime atque Illustrissime Domine.

Literas Illustriss. D.V. 30. novembris datas ~~accepi~~ 22. decembris. Ex illis intellexi binas meas perlatas esse, postremas, quas de censura mihi missa una cum literis Illustrissimae Dominationis Vestrae
5 scripseram, nondum Romam pervenisse; nunc tamen eas traditas esse non dubito. Miseram autem eodem fere argumento Reverendissimae Dominationi Vestrae et Reverendo Patri Nostro Generali, quod hic compendio repetam, ut si illa forte interierint, hae in vicem veniant. Primo, grato animo censuram accepi, ut a fratribus prudenter et cum
10 caritate scriptam, et quanquam forte in particularibus quaedam excusari forte queant, mihi tamen antiquius est tutiora et meliora sequi, quam defendere, quod melius dictum esse potuit, vel oportuit. Secundo, in genere notatur ~~obscuritas~~^{uritas} quorundam, quae studio brevitatis contigit, quia scilicet scripsi stylo non meo, qui fusior esse
15 solet, et liberior; itaque huius rei puto non difficilem emendationem. [Tertio, ex ea brevitate saepe accidit, ut dubium sit ex meane an haereticorum mente loquar. Equidem hoc ipsum notavi. Incidi in illum defectum ex consuetudine disputandi; itaque loquor, quasi constet, me illorum errores, quibus alios eorundem errores elido, de-
20 testari, sicut ex animo detestor. Quod ut me suspectum reddere potest facile, ita emendari potest facillime addito elogio: Illos ita sentire. [Quarto, loca quae notata sunt omnia facile corrigi posse puto; ideo non scripsi de singulis.

Quinto, quod gravissimum judicant, citationes haereticorum dele-
25 ri possunt, et substitui ubi opus est auctoritates Patrum, idque obgentes, quae talibus scandalizantur, et ob Indicis ita praescriptam normam. Hoc ego sequar. Repetam tamen illa quae hac de re in literis vel ad R.P. Generalem vel Illustrissimam Dominationem Vestram datis scripseram, non retinendarum illarum citationum causam, sed ut
30 de meo consilio constaret. Nam 1. Ratio illa haereticos confundendi adeo usitata est Germanis, ut aliqui ea sola magno rei catholicae

/ emolumento utantur, libellos, cathechismos catholicos ex haereticorum scripsit^{t s} conficiant, ut illorum inconstantiam, et quo modo sibi, et suis repugnare soleant, ostendant.

2. Efficax ad conversionem quoque hoc genus argumentorum experimur.

5 V.G. dicimus ex haeresi Calvinii sequi, Deum auctorem esse peccati. Clamant illi: jesuiticas, sophisticas, diabolicas, tartareas esse calumnias etc. Hoc suis persuadent, credunt hoc politici, monent nos catholici multi qui cum illis agunt, in hisce plus esse acerbitalis quam veritatis, et nostram moderationem in disputando se aiunt desiderare. 10 Certe hic causam suam deserere non debet veritatis assertor; nec tamen efficacius apud illos prosequi potest, quam ostendendo, non Jesuitas modo, sed Anabaptistas, Socinianos, Lutheranos, doctiores Calvinistarum Calvinum eodem crimine arcessere; sic catholici supra quam dici potest confirmantur, haeretici confunduntur, omnes Bellar- 15 minum et Jesuitas calumniae crimine absolvunt.

2. Ut illa consensio Illustrissimae Dominationis Vestrae cum haereticis, Italis et Hispanis suspecta esse potest, ita ob causam dictam nobis utilissima est, et illis ut mihi videtur immerito suspecta.

Nam illa, in quibus ostendo haereticos a Pareo dissentire, a Dominatione 20 Vestra stare, non sunt opiniones privatae Bellarmini, sed dogmata Ecclesiae, quae Pareus in nobis damnare non debet, cum in fratribus suis toleret, et desinunt haeretici existimare esse absurda cum a suis audiant defendi; alias continuo ut antichristiana et diabolica contestantur, solum eo nomine, quia nostra sunt.

25 4. Judicium non est meum, sed omnium quos hac de re consului, nihil esse quo Dei gratia per tomos Dominationis Vestrae operans clarius elucescat, quam consensum illum, vel potius accessum haeticorum ad nos. Non modo cum integre convertuntur, sed cum e multis unius haereseos pravitatem deponunt, et cum hoc faciunt docti, et scripto, val- 30 de suis obsunt, et prosunt nobis. Quaeritur dolentissime Pareus, ex tom. IV Dominationis Vestrae, suos doctores arma in Calvinum sumere,

/ dogmata Pontificia reducere, Concilium Tridentinum promulgare. Arminius qui dum vixit habitus est doctissimus inter omnes Calvinistas, accusatus saepe de religione catholica, adeo ut opus habuerit defendere theses de antichristo, quo testaretur, se non esse catholicum, 5 nam haereticorum in illa controversia errorem tutabatur, is tamen Arminius in declarationibus fidei suae testatur de justificatione et aliis (quae tom.IV tractantur) Bellarminum et Pontificios rectius docere quam suos. Adolphus Venator protestatur, doctrinam Concilii Tridentini de justificatione veram esse. Conradus Vorstius post 10 annos triginta, post scriptum Antibellarminum, ad nos in parte accessit. Si ergo doctrina Ecclesiae non infamatur, sed illustratur conversione, vel totali, vel partiali haereticorum, cur alia conditione sint libri Dominationis Vestrae? et quidem in doctrina quae est publica Ecclesiae, non privata unius Cardinalis? Haec etsi tanti 15 non sunt, ut propterea populi integrae religionis, apud quos haereses et haereticorum nomina ignota sunt, scandalizari debeant, talia tamen sunt, quae me confundendis haereticis intentum, et patriae consuetudini indulgentem, merito excusare debeant, quod non eam, quam oportebat, exterorum rationem habuerim.

20 De Pareo aliisque Dominationis Vestrae adversariis novis etiam scripsi, de quibus, si meas literas priores interissem intellexero, postea pluribus perscribam.

Unum addo, quod alter censorum me nimis acerbum judicat, id me libenter deletis illis, quae talia sunt correcturum. Causa tamen acrimoniae fuit, quod ipse omnium hominum sit maledicentissimus; convitia in Dominationem Vestram, in pontificem fere semper omisi in citationibus, quod indecens esse putarem, nebulonis convitia in Ecclesiae praelatos describere. Itaque cum acerrime ago, non ut cum haereticis loquor, sed cum maledico, cui perpetuo Bellarminus est mendax, calumniator diabolicus, scorti Romani adulator etc. Haec de prioribus.

/ Instructio de libello Novi hominis valde grata fuit,et opportuna. Communicavi aliis catholicis; valde commoti sunt animi illo libello. Obsunt et plurimum catholici qui res Romanas norunt; illi suis narrationibus cum de abusibus agitur,vehementer omnia exasperant, nec
 5 dubito quin saepe supra verum et supra modum augeant, de qua re etiam valde in suis literis dolet Marcus Velserus. Timeo ne de Italia,et urbe plura,et particularia magis perferantur. Vae illis,qui vel scribendo,vel faciendo aliqua, ut talia vere scribi possint, Ecclesiam turbant. Sed haec ego tantum facere possum.

10 Mihi aliquando visum erat operae precium fore, ut supplicatio ad Regem Angliae,vel ordines Hollandiae scriberetur, sub nomine alicujus praedicantis, qua peteretur inter Calvinistas Concilium, et causae urgentes ejus rei producerentur, quae facile viginti haberi possunt; quae supra modum eos confunderent, et Roma domum retraherent.

15 Non tamen occasione hujus supplicationis, sed quia Ministri Belgici jam decennio synodum provincialem quaerunt,et orant, sed ordines Hollandici metu schismatis negant. Posset etiam hoc tractari per modum disputationis inter Calvinistam politicum,et Calvinistam ze-
 20 loten, quorum hic optaret; ille nollet Concilium, et rationes adferri, quae valde eos laederent, et catholicos confirmarent. In illa nihil de Pontifice agendum, sed tantum rationes quas dixi proponendae. Deus optimus Maximus Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram diu Ecclesiae suae servet incolumem; quod meis precibus et sacrificiis quotidie posco. Moguntiae 24 Decembris anno 1613

25 Reverendissimae et Illustrissimae Dominationis Vestrae
 Servus in Christo

Adamus Contzen.

(adresse) Reverendissimo atq. Illustrissimo Domino D. Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali amplissimo D^{no} meo observandissimo. Romam.

30 C.B.p/is Contzen , cur verba haereticorum (cachet du coll.)

subinde citavit

franco per Mantoa

München. ⁱRechtsarch. Jesuit. in gen
 fasc. XIX n. 324. Autogr.